Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1903

Quelle:
Copyright:

do inſcribuntur, et prima quidem jam *fol.* 6. p. 2. *Sermo de Purificatione beate marie uirginis.* incipit is: *Poſtquam impleti ſunt dies purgacionis marie ſecundum legem moyſi. ea que ſecuntur. i. tulerunt ihesum in ieruſalem ut ſiſterent eum domino. Ideo non proponimus. quoniam eos ad quos hec pertinent docere non debemus. Ipſi enim doctorem habent deum. qui ſcientiarum dominus eſt. et ideo neceſſe non habent ut quis eos doceat.* &c. Quinam vero hi? Angeli, qui nos finita purgatione Deo praeſentant. Nihil ejusmodi in Editis *Bernhardi*, neque in Feſto *Purificationis*, neque in Feſto *Michaelis*. Idem dic de Sermone ſequenti *in Purificatione* pariter *Bernhardo* tributo, cujus initium: *Quod celebramus diuina iuuante gratia eciam agere uellemus* &c. Idem de aliis ſex per decurſum Sermonibus, donec tandem in genuinum ejus Sermonem II. *de Adventu Domini*, qui incipit: *Audiuimus ſuadentem Regi Achaz* &c. *fol.* 122. incidas. Nota tamen inter Sermones ἀδέσποτους quosdam etiam reperiri *Bernhardinos*, ut eſt ille *fol.* 130. *in vigilia natiuitatis domini de ſentencia* (Maur. de pronunciatione) *marthirologij. Sonuit vox leticie* &c. Atque haec de *Homiliarii* hujus indole notaſſe ſufficiat; neque enim animus fuit excutere ſingulas *Homilias*, quod multae genium *Bernhardi* non ſaperent, et fortaſſis ex iis eſſent, quas *Mauriani* in Editione recentiore *Colon.* et *Homeyano Patrum Supplemento* deſtituerunt, ne in ſpuriarum quidem Claſſem referentes, quibuſcum Codicem noſtrum penitius contendere poterit is, e cujus re fuerit. Illum in *Bohemia* aut ſcriptum, aut ſaltem olim verſatum fuiſſe, e voculis *Myla Maria* ad calcem Homiliae *fol.* 9. adjectis concludo.

DCCXCVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 206 cum Adpendice membranea Sec. XIV. Folior. 108. 4. non una manu ſcripta Farrago eſt continens 1) poſt Fragmentum Initii *Geneſeos* Sermones VI. *de Feſto Dedicationis.* 2) Martyrologium, ſive breves Memoriae Sanctorum, de quibus per anni circulum officium fit in Eccleſia, auſpicando ab Adventu. *Aduentus chriſti agitur per 4or ſeptimanas ad ſignandum, quod eſt quadruplex aduentus filij dei* &c. Finit in *Chryſantho et Daria.* In *Germania* ſcriptum docet *Transfiguracio die Wandlung der geſtalt gotcz.* 3) Sermones V. *de Paſſione, Reſurrectione* et *Dedicatione.* 4) *Incipiunt decem Precepta ſecundum uetus et nouum teſtamentum.* Methodus tractandi haec eſt, ut primum natura cujusvis Praecepti explicetur, dein illuſtretur e veteri, tum e novo Teſtamento, demum a figura unius e decem Plagis *Aegypti.* Initium: *De decem preceptis tractaturi in generali breuiter eſt docendum* &c. 5) Tractatus de VII. Vitiis capitalibus et totidem obpoſitis Virtutibus ſub Schemate totidem *Adparitorum*